JOANNIS PRÆVOTII

DE

COMPOSITIONE MEDICAMENTORUM

LIBELLUS.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-169830-p1167-1
DFG

COMPENDIOSA METHODUS COMPONENDI MEDICAMENTA.

CAPUT I.

De ejus Natura.

DIFFICILEM ESSE COMPONENDI MODVM, & hactenus solùm iis perspectum, qui Medicam artem callent, suntque in omnium simplicium naturis & cognitione versati, testa-

testatur Gal. l. 1. de Comp. med per gen. c. 2. itaque veteres de hoc argumento scriptores, *Heraclitum Tarentinum, Mantiam Herophileum, Musam, Asclepiadem, Critonem, Andromachum rei difficultas perterruit*, ut quàm plures de Compositione medicamentorum libros viderint, compositionis tamen rationem non attigerint. 2. *de Comp. med. per gen. C. 1.*

Elaboravit hanc quidem partem Galenus, & *pro suo acri judicio* veterum *defectus* compensavit. Sed hæc ipsa methodus, quam passim docet, nec eo ordine distincta est, ut ab uno quovis facilè percipi queat: nec ita evidentibus nexa principiis, ut multa in controversiam vocari non possint: aliqua etiam indigitata magis quàm explanata, nobisquè ad ingenii exercitationem studio quodam scribentis relicta esse videantur.

Quòd

Quòd si argumenti difficultatem cum utilitate compares; Incertum erit judicium, cui primæ deferantur. Quis verò inter medicamenta à veteribus composita delectus ususque esse possit, si miscendi artem ignoremus? nam vel ipsa temporum diuturnitas veterum scripta in multorum manus involuta persæpè vitiat. 1. *de antid. c.* 5. vel hominum malignitas ipsa nobis sincera invidet, dataque opera depravat, ne posteri exiguo cum labore parem laudem acquirant, ad quam prisci illi & indefessi Medici magno cum conatu pervenerunt. Proindè sive suspecta nobis sint volumina, quibus medicamenta composita continentur: sive bona fide universa in nostra commoda arbitremur communicata; ratione quadam miscendi medicamenta est opus, ad quam velut ad amussim perperàm tradita explore-

mus: quæ autem nostro usui inserviant, comprobemus ac secernamus.

Ac de hujus Methodi necessitate sic sentit Galenus *l.* 1. *de Comp. M. per gen. c.* 3. 5. nullum unquam usum fore compositi medicamenti, si solis simplicibus universos affectus præter naturam curare liceret. Evenit verò multis de causis (*Averr.* 1. *colliget c.* 57.) ut, quibus in simplicibus integrum non reperimus remedium, *quæramus* ac inveniamus *in compositis.* Quam ob causam tunc solùm necessaria est medicamenti compositio, cum simplici caremus, quo ad sanationem egemus.

Si de hujus Artis inventione sermo sit; nec sola experientia, nec sola ratione ad invenienda remedia, sed utraque conjuncta niti Medicum oportere, docuit *Gal.* 8. *M. M. c.* 1.

Quod

Quod cum de medicamentis ſimplicibus negari non poſſit; tantò veriùs eſt de compoſitis, quantò ignotior nobis eſt illa virtus, quæ è miſtorum pondere & proportione reſultat. Cumque virtus compoſiti ſit velut ſcopus componentis, qui eam utiliter corpori adplicare deſiderat; 4. *de Comp. M. c.* 1. diverſus eſſe modus non poteſt, quo & componuntur medicamenta & compoſita dignoſcuntur.

Eos igitur, qui medicamenti compoſitionem in caſum & fortunam inſomniaq; referebant rationem contemnentes, non ſine cauſa ridet *Gal. l.* 1. *de Comp. M. per gen. c.* 1. quandoquidem primos compoſitores alicujus gratia ſimplicium compoſitionem effeciſſe, certum eſt: ac putaſſe, majorem ineſſe vim compoſitis ad ſanandas ægritudines, quàm ſimplicibus, quam neſomniare quidem potuiſſent, niſi

aliquas facultates suppositi essent in simplicibus, quibus commistis, major quædam virtus exspectari debuisset.

Sive vero primas qualitates ratione didicerimus, sive experientia, sive utraque: cum certa demonstratione constet, unum agere in contrarium secundum proportionem suæ virtutis, atq, ab illa repati; possumus unam qualitatem validè obtundere alterius mistione, postquam utriusque qualitatis efficacia modo al quo innotuit. Sed infrà patebit, multas esse medicamenti componendi causas sola ratione notas, quæque sensibus explicari non possunt. Ut propterea *Gal. l. 1. de Ther. ad Pison. c. 2. & l. 1. de antid. c. 5.* compositionis medicamentorum Artem jure adpellet, at veteres laudet, quòd illam ex ingredientis cujusq; natura sint mutuati.

Ac

Ac licet optimè sit medicamentorum causa comperta usurpari: tamen cùm hæc desint, adeò necessaria est hæc ars ad definienda similia jam expertis, ut quidem eâ destituti, cum expertorum pharmacorum adparatum perdidissent, tristitia contabuerint: alii annis jam graves arte informandos sese tradiderint. *Gal. 6. de med. per gen. c. 1.*

Verùm ne quis rationali methodo medicamenta componendi tribuat, ut, experientia nihil sibi opus esse, arbitretur; tria sunt potissimùm, undè experientiam huic methodo adminiculari necesse est.

Primò autem exacta cujusque simplicis quantitas ac proportio ante experientiam inveniri non potest. 2. *de comp. med. per gen. c. 2.* quemadmodum vis & facultas jam commixtorum solum certè & ac-

curatè cognoscitur. 4. *d. Comp. per gen. c.* 5.

Præterea absq; experientia fieri nequit, ut cujusq; simplicis gradus non ad medium ponderis, sed ad temperiem æqualem, ad justitiam, contemperentur, cujus latitudo tanta est, in singulis individuis, ut non dicam apertè cognosci, sed vix intelligi possit.

Deniq; raritas & densitas: crassities & tenuitas simplicium non parum variant ipsorum modum operandi post compositionem.

MODVS QVAN-TITA-TIVVS. Nulla autem est ratio, quæ modum illum *materiæ*, quantitatisque adfectionem nobis valeat indicare, sine sensus argumento. Illud etiam silentio involvo, interdum misceri simplicia, ut virtutem occultam soliq; sensui manifestam eliciamus, veluti alexipharmacam aut purgatricem. Quo in casu non tan-

tantùm opus est experientia ad constituendas simplicium miscendorum facultates, sed etiam ad ipsorum proportionem: Quam ob caussam inquit *Avicenna l. 5. in principio, & Gal. l. 6 de Comp. med. c.* 8. medicinam expertam meliorem esse non experta: quia non expertæ virtus solum à manifestis qualitatibus judicatur. nescimus autem, quam vim acquirat forma ex compositione resultans. atqui in experta utrumq; nobis est exploratum.

Valeant igitur illi *methodi jactatores, qui suis extemporaneis medicamentis, proprio marte fabricatis magis fidunt, quàm diuturnâ experientiâ comprobatis*, quęq; in eo affectu cum ratione usurpari possint.

Quod si ad medicamenta componenda ratione opus est & experientiâ, utri plus tribuendum censuerimus? etsi eorum, quæ ratione nobis cognita esse nequeunt, metho-

dus non est, sed omnia sunt per experientiam inventa: *Gal.* 13. *meth.* c.6. Quia tamen scire, quid fieri oporteat, id magna res non est: sed quibus rationibus id efficias, id verò scire artificiosum est: 6. *M.M.c* 2. potior censenda est ratio in componendo, quàm experientia, tùm quia experientia inveniendo sine ratione infida est, tùm quia inventis ratio docet benè uti, ac ea convenienter permiscere, in quorum virtute dignoscenda rationi opitulatur experientia, vel interdum etiam antecellit; at in composito judicando parem ferè vim habet ratio & experientia. *Gal ibid.* Iis enim remediis, quæ vera methodo sunt inventa, experientia ad certiorem fidem etiam subscribit, & maximè, quando ratio exactè rationem simplicium describere nequit. Cum igitur medicamenta methodo componantur, sitque *Methodus*

via

via quædam universalis, ducens nos per indicationem in notitiam agendorum: Gal. 4. M. M. c. 4. inquirenda sunt agenda in hoc Methodo, à quibus nobis insinuantur.

CAPUT II.

Quêi cognoscatur, simplex medicamentum egere mixtione.

ILlud primò tenendum: methodum componendi circa simplicia versari. *Avic. lib 1. in princ.* Simplicia inquam: non modò quæ arte non sunt commixta, sed etiam quæ semel composita ulterius componuntur. Quare in hoc differt à methodo medendi; quod hęc circa remedii inventionem, rectumque usum: illa circa remedii materiam, ejusq; mixtionem artificiosam occupatur.

Undè verò noscatur pharma-

cum cum alio permiscendum, docet *Gal. 3. de Comp. med. per gen. 2.*, adserens; pro vehementia cujusq; pharmaci proportione miscendorum facultatem inveniri; modò simplicium omnium temperamenta, & quæ ipsa consequuntur, rectè percepta sint.

Cùm igitur compositio non utamur, nisi cum simplex deest, quo mala corporis dispositio corrigi queat; non est quodlibet *cum alio miscendũ, sed cum eo tantùm, à quo nanciscí potest*, per compositionem, integram virtutem juvandi. *Gal. 2. de Comp. per gen. c. 1.* Quod ut cognoscatur, constare nobis ante omnia oportet, qua in re simplex deficiat, ut alterius ejusdem virtutis commistione defectui occurramus.

Quia ergò omne medicamentum agendo corpus afficit, & sic ab alimento differt, cujus proprium est,

est, à corpore magis pati & superari: ex conditionibus ad actionem requisitis non erit arduum investigare, qua parte simplicis medicamenti actio deficiat.

Quatuor ergò requiruntur ad actionem alterationi motuiq; locali conjunctam, de qua heic sermo: quibus positis ac remotis, impedimentum fieri non potest, quin actio naturaliter sequatur.

1. Requiritur *virtus activa*, Quia actio est motus patientis ab agente: estque omnis actus activorum. 2. *de anima* 24.

2. Requiritur *passi dispositio*. nam actus activorum est in disposito patiente. *Ar. ibid.*

3. *Adplicatio agentis ad passum*: sive ea per contactum corporum fiat, sive per contactum virtutis, ex directa distantia. Etenim cùm virtus agentium naturalium finita sit; non potest per quamcunq; distantiam

diffundere actionem ad passum: sed unumquodq; operatur ad certam distantiam, quam *sphæram activitatis* vocant.

4. Demùm *Tempus*; quia cùm in omni actione naturali, corporeaq; agens repatiatur, sitq; agentis finis adsimilatio passi; non potest unico instanti superari resistentia passi, fierique adsimilatio cum passo: sed certum requiritur tempus, brevius aut longius, prout agens fortius fuerit, passiq; resistentia cum agente major aut minor.

Ex quibus conditionibus ad agendum requisitis, ob passi dispositionem, nulla est medii componendi necessitas: siquidem deploratis, & ad actionem medii nullatenus dispositis nemo remedium adhibet. 1. *M.M.c.9.*

Quare triplici de causa necessarium est, insufficiens reddi simplex medicamentum, ac indigere compo-

si-

positione; vel potentiæ agentis vitio: vel quia non adplicatur passo: vel quia adplicatum tàm diu non moratur, ut edere suam actionem possit.

CAPUT III.

Qua ratione miscendum simplex, quod non juvat vitio facultatis.

QUod ad agendi potentiam, vel medicamentum eâ caret: vel si habet, fortior est debitorve, quàm usus postulet: vel habet plures, quàm curando affectui conveniat. *Aver. 5. collig. c. 57.*

Caret facultate agendi; vel quia ipsam non habuit, vel quia amisit, vel amittere potest. *Amittere* autem potest, vel quia ad mixtionem dissolvuntur vires medicamenti, tenuioribus partibus evanescentibus: & tunc miscemus conservans

vires: ut est mel & saccharum in syrupis & conservis: vel quia in ipsa administratione, propter itineris, quod cõficere debet, longinquitatẽ, vires perdit, ac fit inferior, licet prius æqualiter erat contraria: quo casu permiscendum medicamentum, quod tot gradibus superet, quot perdit alterum in via: ut, si refrigerandum cor in primo gradu; acetosæ, quæ in primo completè est frigida, & à nostro calore valdè retunditur, antequam ad cor adpellat, miscenda est Nymphæa æqualiter, quæ cum sit frigida, fiet compositum frigidum in secundo, & licet unus gradus in via perdatur, perveniet tamen ad cor frigiditas exactè contraria caliditati.

Adverte tamen, non esse simpliciter necessarium, ut simplex curando affectus æquè contrarium fortiori permisceatur, quùm ad longinquam partem ferri datur:

suffi-

sufficit autem, ut ejus quantitatem duplicemus, aut triplicemus, quia quantitas multiplicata, ut dicetur, licet nihil addat intensioni virtutis, operationem tamen facit validiorem, quia diuturnior est & contrario fortius resistit. Quod si simplex ea quantitate non haberemus, aut uti non possemus, ægro eam aspernante, ad compositionem confugiendum.

Si facultas omninò desit; quia scilicet simplex tot diversas non habet vires, quot ad sanationem requiruntur, miscendum aliud, à quo illas vires recipiat, servata interim virium proportione, ut: si discutiendi, repercutiendique par sit necessitas; Chamæmelo, quod vim discutiendi habet, miscendæ rosæ æquales: quia tanta inest vis repercutiendi rosis, quanta digerendi Chamæmelo. Sicque servanda virtutis proportio in cæteris, & adden-

denda facultas deficiens prorsus ejus gradus, quo indigemus, sive primas, sive secundas sive tertias qualitates desideremus, quæ etiam certis agendi viribus, intensioribus aut remissioribus, ut primæ, determinantur, quod Averroës malè ait à veteribus ignoratum.

Potest verò aliqua istarum facultatum variis de causis cum simplice desiderari, quas *Averroës ad Quing. refert.*

1. *Est ægritudinis & causæ* contrarietas.

2. *Est ipsarum* ægritudinum mutua contrarietas: ut, si ventriculus frigida, hepar calida intemperie laboret.

3. *Affectæ* partis præstantia, cujus robur styptica perpetuò postulat; ut ideò *Gal. 11. methodi præcipiat*, ut in jecoris, ventriculique inflammationibus nunquam utamur tantum digerentibus, sed cum adstringentibus.

4. *Est*

4. *Esi situs* & colligantia membri.

5. *Naturæ* membri, & naturæ ægri contrarietas, quam si Averroës censet medicamenti compositionem exigere tantum contrarietatis causſa, fallitur. Cùm enim temperamentum rectè habet, requirit similia: cùm naturæ limites egreditur, contrà. Nam *curare temperamentum, est temperamentum naturale conservare. 8. method. ult.* Quia igitur aliàs temperies indicat recessum à statu naturali, ideoque mensuram contrarietatis remedii cum morbo definit. 11. *Meth. c.* 1. si membri & ægri natura sit contraria, ut: si pars naturaliter frigida, calida intemperie afficiatur, non est propterea medicamentum calidum frigido miscendum, sed sumi potest tantò frigidius naturali partis temperamento, quantò pluribus gradibus à naturali discesserit.

Planè, quantacunque de causſa eve-

eveniat, aliquam facultatem curationi necessariam in simplici medicamento desiderari, aut est alteri, quam jam habet, contraria; ut: si calefaciendus sit ventriculus, & frigerandum jecur; absinthium habet quidem facultatem ventriculũ calefaciendi, sed non refrigerandi jecur: idcircõ miscerí debet cum cichorio, contraria virtute prædito: aut non est contraria, sed solùm diversa: veluti Rhabarbarum cum *fero lactis componatur bilis* temperandæ & expurgandæ gratia: vel misceatur medicamentum humectans cum refrigerante, vel deniq; ita misceantur primæ facultates inter se, ut cum secundis, vel unà consistere possint. Si facultates cõjunctæ non sint contrariæ, unaquæq; vires suas servat integras, ac pro ipsarum efficacia operatur; nec aliquis est, qui de hoc ambigat, cum certum sit, actionem corruptivam esse

esse duntaxat inter ea, quæ sibi mutuò adversantur: at si contrariæ facultates misceantur, ut calidum cum frigido, aperiens cum adstringente; non levis est dubitatio, quomodo compositum cõtrarios affectus corpori imprimat.

Etenim licet hæ contrariæ facultates, priusquàm corpori applicentur, in se mutuò agant; tamen cùm in actum à calore nostro rediguntur; negari non potest, quin æquè invicem agant & patiantur, ac in corpus. vel igitur erunt agendi potestate pares, vel una erit altera fortior. *Si primum*, impedient se invicem, ne operari possint in corpus, quin & se mutuò corrumpent, & in eodem instanti alternationi contraria, moveri corpus non poterit. *Si secundum*, fortior corrumpet debiliorem, itaque una tantùm operatio edetur, & non contraria.

De

De hac controversia consulendi sunt, *Avic.* 1. *Fen.* 1. 1. *in princ. Averr.* 5. *collig. c.* 57. *Fallop. lib.* 1. *d. comp. med. c.* 26.

Mihi sanè: (omissâ prolixâ disputatione) neque vera Averrõis esse sententia videtur, statuentis, ex contrariis facultatibus sibi permixtis fieri *mediam qualitatem*, sicut ex albo & nigro fiunt medii colores: hanc que mediam qualitatem contrarios producere effectus; *non quia sit media per compositionem extremorum, quæ ipse vult penitus corrumpi*: sed quia ex mutua contrariorum actione oritur, ac proindè potestate ipsorum vires includit. Gratia exempli. Si aperiens cum adstringente misceatur, fiet quædam media qualitas *secundum Averroëm*; quæ si meatus nec nimiũ apertos nec nimium adstrictos inveniat, sed moderatos; non aget, quoniam simile non agit insimile:

at

at si unius meatus partes laxæ sint, alterius adstrictæ, medicamentum temperatum ex adstringente & laxante, respectu partis laxæ erit adstringens, respectu adstrictæ laxans, atque adeò illam adstringet, hanc laxabit.

Nititur autem hæc opinio his falsis fundamentis. I. *est Galeno damnatũ. 1. de. Compos. med. per gen. c. 1.* Contraria sibi permixta reduci posse ad medium, priusquam corpori adplicantur; cùm medicamenta nec in se mutuò, nec in nos quicquam agant, priusquam à nostro calore in actum deducantur.

II. *Est*, qualitatem mediam per negationem extremorum esse non posse terminum alterationis; cùm certum sit, terminum motûs non differre à motu, sive à forma quæ est, in fluxu.

III. *Est*, ex contrariis facultatibus corruptis gigni aliquid mediũ.

Quæ

Quæ enim actio à corrupto efficiente, & quis illius actionis terminus fingi potest? Nec arridet Avicennæ solutio dicentis, vires medicamentorum contrariorum non corrumpi invicem, sed simul ac reducuntur in actum à calore nostro, naturam secernere unum ab alio, quodque necessarium est uni parti, in ea retineri: alterum ab eadem expelli, trahiq; ab alio membro, quod ipsius indigetfacultate.

Quamvis enim *cavilletur Averroës, Avicennæ* sententiam esse velut secretum in somnio revelatum, nec fingendam esse quandam in nostris coporibus facultatem, quæ intellectu quodam prædita, utilia omnia suis locis dispenset, noxia rejiciat: atque adeò colligat, fieri non posse illam dissimilium virtutem segregativam: aliis tamen de caussis Avicenna reprehensione nõ caret.

Nam

Nam dato, fieri qualitatum contrariarum separationem in nobis antequàm vires suas in se invicem exserunt; non intelligo, quo pacto intensum medicamentum remitti queat, siquidem contrarium, à quo remitti deberet intensum, postquàm ab ipso separatũ fuerit, nunquam remittit, cùm non nisi applicitum passo agat. Deinde experientia est comprobatum, medicamenta purgantia, quæ vi quadam venefica præstant, cum suis corrigentibus sumpta non nocere, sine ipsis autem naturam mirum in modum agitare; signum evidens est, purgans à corrigente non separari, sed virtutem alexipharmacam corrigentis agere in deleteriam purgantis; salvâ interim virtute purgatrice, cum qua vis alexipharmaca nõ habet contrarietatem. Præterea, si natura tam constanti ordine ac motu noxium secernat ab utili; nullus

lus profectò in medicamentorum compositione error contingeret, sed liceret, Empiricorum more, multa confundere, ut aliquid saltem prodesset ex pluribus: quia natura illud sibi adscisceret retineretque, alia secerneret, vel noxia, priusquàm ab ipsis pateretur.

Mihi ergò sic videtur. Cùm qualitas similis specie & gradu non agat in similem, quia debet esse aliqua inter agens & patiens dissimilitudo: neque qualitas specie similis, gradu autem inferior, agat in superiorem, quia superior gradus inferiorem continet, habetque totam ipsius perfectionem: cùm contrariæ facultates commiscentur, & in actum revocantur, quod habet similem cum membro, cui adplicatur, si facultas similis sit vel debilior, non agere in membrum, sed in contrariam facultatem, à qua utrumque etiam repatitur, sicque mi-

minuitur membri adfectio, non tota simul, sed sensim ac sensim atque ita medicamentum ex contrariis qualitatibus compositum, pro varia passi dispositione, contrarias operationes efficere. Gratia exempli. Si ventriculo frigida, jecore calida intemperie affectis, cichorium misceatur absinthio, ac utrumque actuetur, cichorium fovet quidem ventriculi debilitatem, quia impedit remedium calorificum: non tamen agit in frigiditatem, utpote simile in simile: sed ex ventriculi & cichorii frigiditate fit unum agens frigidum contra caliditatem absinthii, à qua necesse est repati ventriculi frigiditatem, ac propterea minui: cumq; ventriculus agat in mediũ, ut ipsum sibi adsimilet (quamvis adsimilari nequeat velut alimentum) postquàm aliquandiu egit, nec potuit cõsequi finem suum, qui est passi adsimilatio, utrumque medium

dium expellit, velut inutile. Itaque cichoriũ perveniens ad jecur ipsum refrigerat, licet viribus refractis eò pervenerit. Hanc enim ob caussam contrariæ affectiones ægrè amoventur, quia contraria medicamenta actuata à calore se refrangunt, ut nunquam possimus medicamentum affectui æquè contrarium adplicare.

CAPUT IV.

Quomodo medicamentum fortius Compositione remittatur.

SI medicamentum simplex nulla necessaria careat facultate, habeat tamen aliquam fortiorem, quam conveniat recessui à naturali statu: dubium est an compositio semper necessaria sit ad remittendum facultatis excessum, ut evadat curando affectui penitus contraria. Sanè

Sanè si unicum simplex haberemus vincendo affectu efficacius: e. g. si ventriculo refrigerato in 2. gr. haberemus solum piper, quod est calidum in 3. gradu ; superatque morbosam frigiditatē uno gradu; possemus *simplici* atque impermixto uti cum emolumēto: sed in minori quantitate, quam requirat, ut operari possit secundum tres gradus. Sicut enim quātitas aucta fortiorem *reddit* actionem, sic detracta ac imminuta *debiliorem*; quia agens paulo tempore agere potest, ideoq; continua repassione, ac dissolutione à calore vis ejus citò exsolvitur, ut ventriculum sibi omninò assimilare non possit, infraque tertium gradum subsistat.

Propterea sicut medicamentum copiosè diuque exhibitum vincit affectum se fortiorem, quia paulatim retundit exsuperantiam : ita fortius medicamentum minore

tempore & quantitate adhibitum citò adfectum se debiliorem vincit absq; contrarii adfectus procreatione; quia ignis non ilicò producit summam calidatem, nec aliud ullum agens, sed determinatum postulat tempus, congruam quietem. In quo casu si adfectum tolleremus fortiori administrato remedio, donec contrarium adfectum removisset; adhuc dici posset administratum remedium affectui perfectè contrarium: *quia illud non dicitur „ calidum in tertio quod tot habet gra-„ dus caliditatis, sed quod corpus tot gra-„ dibus immutat.* Quia verò medicamentum fortius nimis repentinam facit alterationem naturæ semper gravem, ac insignem Medicum requirit, ne contrarium morbum inducat; si alia simplicia non desint, quibus refrangi valeat virtus potentior; præstat admistione debilioris tot retundi gradus fortioris, quot

quot partibus recedit vitium à statu naturali: ad hoc, ut medicamentum oppugnando vitio reddatur prorsus contrarium: ut, in dato casu, remittendus est gradus caliditatis in pipere, ut compositum evadat calidum in 2. morbosæ frigiditati in 2. gr. exactè adversarium. at quale sit hoc remissum medicamentum, cujus compositio refrangatur valentius; lis est inter *Galenum & Averroëm* gravissima.

Conveniunt quidem in eo, quòd remissum debet esse tot gradibus tale, quot gradibus fortius excedit affectum, ut, si excedat affectum uno gradu, remissum debet habere tantum qualitatis oppositæ, quantum requiritur ad vincendum unum gradum superfluum, cum hæc remissio contrarietatis ratione perficietur *Gal. 6. d. Comp. med. per loc. c. 3.* miscenda esse censet medicamenta ejusdem generis, ut media pharma-

ca compārentur: diversi autem generis pharmaca eo fine commiscerī existimat, cum operationibus & facultatibus contrariis ad affectus curationem indigemus.

Quare docens refractionis modum *l.d. Compos. per gen. c.* 3, St corp 9, inquit, quatuor à naturali statu recedat numeris, tot gradib⁹ medicamentum symmetro debet esse validus, at si tale nullum adsit, habeamus autē duo, quorum hoc *numeris quinque, illud tribus*: verbi gratia, *calidius sit*; utriusque commixtione medium efficiemus, quatuor numeris symmetrum exsuperans. Pari ratione ex calido in primo & in tertio, fiet calidum in tertio ex temperato, & calidum in secundo fiet calidum in primo; quia in omnibus eadem cōtrariorum proportio observatur: Unde ex Galeni sententia remissum ejusdē generis remittit intensum ad medium utriusque,

si pari quantitate misceatur. Quomodo autem quantitatis variatio simplicium alteret actionem, pòst ostendetur.

Averroës contra existimat, intensum non remitti à remisso ejusdem generis, sed à contrario: ac remitti tot gradibus, quot partibus contrarium remissum excedit proportionem temperati. Itaque ex Averrois sententia, convenientibus quatuor (verbi gratia) calidis, & quatuor frigidis, pari proportione fiet temperatum. Frigidum autem in primo remittet calidum in quarto uno gradu: ex frigido in secundo, & calido in quarto fiet calidum in secundo; & frigidum in primo, & calidum in secundo fiet calidum in primo, & sic de reliquis.

Sed deceptus est Averroes, quod non distinguat actionem, quæ inest medicamentis potestate, ab ea, quæ inest iis in actu positis à calore.

Nam cùm per actuationem resolvatur medium in partes elementares componentes, quæ prius inerant medicamento potestate, & superato à contrario, ideoque nullam actionem habebant; fiunt post actionem actu agentia, atque adeò contrarietatis ratione mutua fit actio & passio diversarum partium elementarium, quæ idem simplex medium constituebant. Quare intensum remitti poterit à remisso ejusdem generis, sed ratione contrariæ virtutis in eo latentis, quæ per actuationem in actum deducitur.

Fingamus itaque, misceri medicamentum calidum in primo cum medicamento calido in tertio; cùm in medicamento calido, ut primo, habeamus quinq; gradus caliditatis, id est, unum supra temperaturã medicamenti temperati, & tres frigiditatis: in calido autem ut tria sint septem gradus caliditatis, id est, tres gra-

gradus supra mediam, & unus frigiditatis; habebimus in composito quatuor partes frigiditatis, & duodecim partes caliditatis, quæ per mutuam actionem & passionem, post actionem utriusque reducent se ad medium; quod octo gradibus (quanta est unius cujusque qualitatis latitudo) comprehenditur.

Sume igitur medietatem frigiditatis, & medietatem caliditatis; resultabunt duæ frigiditatis & sex caliditatis. Quod autem partes habet sex caliditatis & duas frigiditatis, est calidum in secundo gradu. Ergò rectè procurata fuit validioris remissio compositione remissi ejusdem generis. Nam sic Averrois mente jungitur calidum ut tria in primo, habebimus in composito decem partes caliditatis, & sex frigiditatis, ante mutuam actionem & passionem simplicium compositorum: post actionem autem & actuatio-

nem, facta intensione, & remissione, manebit utriusq; qualitatis medietas, ac ideò erunt caliditatis quinque, ac frigiditatis tres. Quod verò habet frigoris tres, caloris quinque gradus, est calidum in primo. non ergò reducetur calidum ad calidum in secundo ex permistione frigiditatis in primo, ut voluit Averroës, sed reducetur ad calidum in primo.

Quòd de primis qualitatibus dictum, observandum quoque est in secundis, ut intensum remittatur à remisso ejusdem generis ad medium; veluti si adstringendum sit gradu secundo, habeamus autem rosas, quæ adstringunt in primo, & gallas, quæ in tertio; facta utriusq; in pari quantitate commistione, resultabit post compositionem adstringens in secundo &c.

Licet verò hæc reductio ad medium commodè fiat, quando nobis

non

non desunt oportuni gradus intensi & remissi ejusdem generis: alius tamen datur modus fortioris virtutis debilitādæ. Cùm enim ad actionem præter agentis efficaciam requiratur debita quantitas? potest remitti actionis vehementia vel remissa facultate agendi, vel agentis imminuta quantitate, qualitate non imminuta.

Nam *ut ait Averroës 5. collect. c. 85. Vnumquodq; agens determinatam postulat quantitatem, ut secundum efficaciam virtutis suæ operetur,* qua quantitate imminuta, debiliorem fieri actionem oportet, quibus viribꝰ agentis citius dissolutis, exiguo tempore durat actio. Itaque si ad debilitandam facultatem robustiorem, quàm nostro serviat instituto, desit nobis remissum ejusdem generis eo gradu, qui requireretur ad reducendum intensum ad gradum determinatum: licebit, quantitate

simplicis variè aucta vel diminuta, duplici modo adsequi quod accipimus, vel componendo medicamentum ejusdem generis, vel contraria.

Undè, si habemus media ejusdem generis, puta calida, quorum alterum sit intensum, remissum alterum; vel remissum est in eo gradu, ut æqualiter mixtum fortiori virtutem ejus relinquat adhuc fortiorem, quàm conveniat adfectui: ut, si intensum calidum sit in tertio completo, remissum verò in primo completo, nobis autem opus sit calido in secundo incipiente, cùm ex calido in primo, & calido in tertio completo resultet compositum in secundo pariter completum; virtus intensi relinquitur adhuc fortior quàm conveniat. In quo casu vel augenda qualitas remissi tot partibus, quot numeris compositum relinquebatur fortius, re-

ma-

manente interim quantitate fortioris, vel relicta (quod melius est) quantitate remissi, intensi quantitas tot partibus minuenda, quot manebat compositum fortius: verbi caussa, *drachma una piperis calefaciat in tertio, & drachma una mastiches in primo*; Utroque misto, fiet compositum calidum in secundo intenso: capimus autem calidum in prima statione secundi gradus. Cùm remaneat medium duabus partibus calidius, quam optamus, utroque modo resultabit compositio calida in prima statione secundi gradus: si duas nonas drachmæ auferas piperi, relicta drachma una mastiches: vel si relicta drachma una piperis, addas mastiches duas nonas drachmæ, ita ut sumantur mastiches scrupuli tres gr. XIV. Quod si è contrario remissum in eo sit gradu, ut

fortiori mixtum ipsius virtutem nimis debilitet, adeò ut virtus compositi debilior sit curando adfectui; vel tot partibus est minuenda quantitas remissi, quot redditur virtus compositi intensior quàm conveniret, relicta interim quantitate fortioris: vel relicta quantitate remissi, tot partibus augenda est quantitas fortioris, quot resultabat virtus imbecillior. Ut, in dato exemplo: *si calido indigeremus in prima statione tertii gradus*, quia ex pari quantitate mastiches fit calidum in secundo intenso; quia nimis erit debilitata virtus piperis, una scilicet parte; propterea una parte minuenda quantitas mastiches, vel unâ augenda quantitas piperis. Si habeamus medicamentum intensum, scilicet Calamenthum, calidum in tertio, nullum autem adsit remis-

sum

sum ejusdem generis, sed habeamus remissum frigidum, ut rosas (idem dicendum de secundis & tertiis qualitatibus) remittenda est virtus intensi ad mixtionem contrarii, verum inæquali mensura, nimirum vel minuendo quantitatem rosarum, vel augendo Calamenthi.

Verbi caussa: sit curandus ventriculus frigidus, ut duo, indigemus, calore ut duo: habemus autem rosas & Calamenthum, quibus æqualiter *mistis*, puta ad drachmam unam, resultabit compositum calidum ut unum debilius uno gradu. Quare si una parte minueris quantitatem rosarum, quæ nimis agunt in caliditatem alimenti, vel unâ parte auxeris quantitatem calamenthi supra mensuram rosarum (quod est æquè bonum propter medii copiam) fiet calidum in 2.

Quæ

Quæ autem sit illa quantitas; ad quam vel minui rosæ debent, vel augeri calamenthum, colligi debet per Regulam Proportionum. S Trium. Nam si ratiocinationem instituas: Quinque gradus caliditatis, id est, unus supra mediocritatem, proveniunt ex 8. drachmis rosarum, ex quot drachmis venient sex gradus? Duobus primis numeris in se multiplicatis, & per tria divisis, reperies drachmas sex, quæ æquivalent duobus scrupulis. Dices ergò; Drachmæ calamenthi miscendas esse drachm. 6. & duos scrupul. rosarum: ut compositum fiat calidum in 2.

Sed ut adparet, ratiocinatio per Regulam Trium supponit cognitionem quantitatis determinatæ utriusque miscendi, quam per rationem concipere exactè vix

pos-

possumus, sed magis per experientiam. Propterea Galenus ex duobus contrariis mediis volens unum medium constituere, ad generandam carnem in rustico, cùm rari nihil habere poterat, præter æruginem, quæ siccat & liquat; proponens sibi æruginis siccitatem humiditate olei temperare ad secundum gradum: & incertus, qua quantitate oleum esset commiscendum: facta commixtione ad duo decuplam proportionem exploravit per remedii usum, ut justa esset proportio utriusque servatæ. Quam rationabiliter investigare, quemadmodum humanitùs licet, inferiùs demonstrabo.

Ex dictis duplex emergit difficultas in debilitanda facultate fortiori. Cùm enim vel debilitatur à contrario, remissâ facultate: vel tantùm debilitatâ actione, ob quan-

quantitatis inæqualitatem ; si plura quàm duo componenda sint medicamenta ejusdem aut diversi generis, quandoque ob tertium confunditur proportio, quam inter duo simplicia statui ; quî conjiciemus, qua quantitate sit miscendum unumquodque ut resultet gradus desideratus ? *Verbi causa* : sit calefaciendus ventriculus ut duo, ac propterea adstringendus : sitque nobis præ manibus melissa, calida in primo, & calamenthum in tertio ; constat, utroque æqualiter mixto, fieri compositionem calidam ut duo, attamen sine adstrictione. Undè, si habeamus cyperum, qui est calidus in principio secundi, & adstringit ; necesse erit, misceri cyperum. Sed perturbatur proportio caloris, ob cyperi caliditatem ; quantum igitur Cyperi erit sumendum, ut adstringat, & in secundo

do ca'efaciat ? vel : si loco Cyperi habeamus rosas , adcò ut contraria permiscenda sint , magis adhuc confundetur proportio caliditatis & frigiditatis medicamenti calidi in primo , & calidi in tertio gradu : ac propterea erit singularum quantitas cognitu difficilior.

Nihilominus singularum quantitatis proportio facilè constituetur ab Arithmetico , colligendo gradus similis *quantitatis, constituto* prius medio gradu, quem optamus. Si igitur in primo exemplo quinque gradus caliditatis melissæ,& septem calamenthi,& quinque cum una tertia cyperi simul alligaveris constituto medio ; gradum, quem optamus, sex graduum scilicet ac medium numerum multiplicaveris in singulos gradus dictorum simplicium , diviserisque per differentiam ipsorum à med o

po-

posito; reperies meliſſæ partes octo, & duas undenas: calamenthi partes duas & unam undenam, cyperi partes octo, & octo undenas. In posteriore verò exemplo resultabunt quinq; partes meliſſæ, septem calamenthi, tres rosarum: ut ex omnibus tribus mixtis fiat compositum calidum in secundo, simulque adstringens. Eadem regula secundis qualitatibus inserviet, si more primarum in certos gradus distribuantur, atque invicem alligentur ad mediam facultatem, quam volumus.

Altera difficultas est, quid intelligendum per æqualem quantitatem, quando dictum est, ex duobus contrariis ejusdem gradus pari quantitate commixtis fieri compositum temperatum: dissimilis autem gradus fieri compositum medium inter excessum utriusq;. Siquidem monet Averroës, quantitatis æqualita-

litatem non mole, sed virtute mensurandam: quandoquidem unum contrarium, ut calidum activius est altero, atque adeò frigus superabit, licet corpus frigidum mole non vincat. Similiter duo contraria agentia, quorum unum densum, alterum rarum, non habent parem agendi vim, nec similem resistentiam: quei verò mensurabitur quantitatis æqualitas ex agendi efficacia?

Pro responsione notetur, quantitatem continuam spectari bifariam: vel ratione magnitudinis, quæ consurgit ex determinata extensione materiæ: Vel ratione ponderis, *quodpotissimùm ex multiplicatione materiæ provenit, non quidem causaliter, quia materia per se nullius actionis est principium: sed dispositione: quia formæ, à quibus manat gravitas, multam materiam requirunt. Cum igitur forma naturalis composita sit ma-*

materiæ coëxtensa; ideò necesse est, in multa materia multum formæ reperiri. Multum autem formæ cum fortius operetur; rectè fit, quod mediorum quantitates & qualitates non mole dimetiantur, sed pondere, i. virtuose; quæ ponderis ratione non dico intensior, sed robustior fit. Intellige tamen de simplicibus ejusdem generis & gradûs, aut de contrariis eodem excessu superantib. medii proportionem: horum enim actio roboratur pro incremento ponderis, *quia plus formæ cum pluri materia multiplicatur. Simpliciter enim est falsum formæ entitatem, ut est principium majoris aut minoris virtutis agendi, crescere ad multiplicationem materiæ. Quia cum forma sit per accidẽs extensa, ac ipsius intrinseca vis agendi sequatur formæ extensionem, non perfectionem; potest forma activior edere suum effectum cum pauciore materia, ac faciat forma minus activa.* Imò videmus, ea agen-

agentia esse minùs activa, quæ longius recedunt ab admistione materię, scilicet quia plus participant de forma non quò ad extensionem, sed quoad intrinsecam perfectionem. Illa ergò dicetur æqualis quantitas agentium perfectione, & graduum similium intensione, quæ est utriusque proportionata, ut secundum suam virtutem operetur. *Verbi gratia*: calidum in primo requirat pro operatione unciam unam; & *calidum* in tertio requirat drachmas duas; *si calidi in primo* sumamus unciam unam; Calidi autem in tertio drachmas duas; dicentur misceri æquali pondere proportionato scilicet suæ virtuti. Et hoc vult Averroës, quando quantitatem dicit mensurandam esse virtute, non pondere.

CA-

CAPUT V.

Quei virtus nimis debilis compositione roboretur.

SI virtus medicamenti simplicis debilior sit, quàm postulet curandi adfectûs magnitudo, potest quidem sine compositione roborari tot partibus adaucto ipsius pondere, quot partibus superando affectu imbecillior est: cùm certum sit, mitiora remedia multa quantitate, diuque exhibita adfectus se fortiores tandem evincere: sed tamen nec quilibet perferre potest eam medicamenti molem sine tædio, nec semper tutum est, in morbis procrastinare, quum augeri possint, ac vires prius opprimere, quàm remedio debili temporis diuturnitate pelluntur. Accedit, aliquos esse mor-

morbos, quibus debiliora remedia nullo temporis decursu opitulari queunt. Nam in quibus vitæ periculum impendet, stultissimum fuerit, in minoribus salutis spem collocasse. 5. *meth. c. ult.* quemadmodum & in *illis*, quorum causa fovens continuò generatur, in quibus nisi remedium causæ tollendæ par fuerit, insuperabilis ægritudo relinquetur. Exemplo sit ulcus, quod *fovetur* à duplici excremento continuè generari solito, tenui scilicet & crasso, quando naturæ opus in generatione carnis prohibetur. Etenim nisi sarcoticum tenue excrementum siccet, rursum detergat; ea quantitate, qua generatur ulcus, carne nunquam replebitur, sed sordidum indies fiet, magisque humidum, veluti si potentius siccet, non modò tenue excrementum absumet, sed etiam sanguinem, generandæ carnis

materiam. 3. *meth.* c. 3. Quare oportet σφιγκτικὸν exactè esse contrarium affectui, ac propterea methodo opus est, quâ virtus debilior eò usque intendi possit, donec affectui æqualiter contraria fiat.

Ac virtus quidem dupliciter dici potest debilior: vel simpliciter, quia affectus expellendus facultatem habeat intensiorem, pluriumque graduum: ut, si morbus calidus sit *in secundo*, & remedium *frigidum in primo*. Vel secundum quid, quia integris viribus pervenire non possit ad membrum affectum propter ejus distantiam, licet vires æqualiter contrarias pravæ dispositioni obtineat. De virtute debili secundum quid dicetur, cum de vehiculo sermo erit.

Virtus simpliciter debilior uno tantum modo redditur intensior, mi-

miscendo pari quantitate medicamentum simplex ejusdem speciei tot partibus affectui intensius, quot partibus alterum est remissius: veluti si morbus calidus sit in secundo, sitq; remedium debilius, frigidum in primo; miscendum est cum pari quantitate frigidum in tertio, ut fiat compositum in secundo: quod de secundis facultatibus eadem ratione intelligendum est. Sed quia evenire potest, ut ob simplicium penuriam virtus debilioris nimis parum, vel nimium intendatur; alterius commistione succurrendum est defectui, mutata fortioris quantitate: quæ si virtus debilis nimis parum intendatur, augenda est tot partibus, quot numeris compositum adhuc est remissius, quàm oportet: si nimium intendatur, tot partibus est minuenda, quot compositum est justo intensius.

Cæterùm quemadmodum nullâ facta virtutis intensione, fortiorem reddi ipsius actionem constat, auctâ agentis magnitudine: ita dubium est, an unius simplicis virtus additione plurium, facultate & gradu similium, roborari possit: atque adeò, recténe rideat *Galenus* 1. *d. comp. per gen. c.* 1. Empiricos, quibus ea compositio familia is erat, ut unius virtutem alterius similis conjunctione redderent efficaciorem. *Sanè*, si Empirici varia ejusdem facultatis miscuissent, ut, si unum non prodesset, aliquod saltem in tota multitudine proficuum reperiretur, (quo nomine Galenus in eos animadvertit) irrationalis penitus esset, ac fortuita commistio: fieretque entium multiplicatio sine necessitate, quia quæ sunt per omnia similia, diversas agendi vires præstare nequeunt, quodque in uno de-

sideratur, in alio frustrà quæritur. Sed quia eadem virtus in diversa materia, celerius aut tardiùs longiori aut breviori tempore operatur, si medicamenta facultate, & gradu similia, ut puta Sonchus, cichorium, & acetosa, substantiæ modo differant; non est præter naturam, simplex tenuis & raræ substantiæ alteri permisceri, facultate simili, substantiæ verò crassioris ac densioris: vel, ex contrario, crassum componi cum tenui, ut alterius actio roboretur. Nam, ut inquit *Averroës* 5. *Collect.* c. 57. medicamentum crassum conjunctum tenui permutat corpus inæqualiter, tenue quidem celerius, crassum verò tardiùs: undè corpus diuturniori tempore alteratur, ideoque eorum alteratio est fortior, ac si singula seorsim exhiberentur, atque hæc substantiæ diversitas tanti est momenti in cor-

poris permutatione, ut verè dicat Averrhoës, *medicum, qui hoc subtiliter consideraverit, nunquam usurum simplici medicamento*: ideoque si projecore refrigerando in secundo gradu exhibendæ sint unciæ duæ succi cichorii; fortior fiet refrigeratio, si uni unciæ succi Cichorii tantundem succi acetosæ miscueris: quia acetosa, tenuioris quippe substantiæ, prius refrigerabit: cichorium autem tardius ac ferè cessante jam *corporis operatione*.

Errant igitur, qui Empiricum esse putant, varia medicamenta ejus facultatis & gradus ad roborandam actionem permiscere: gravius-que errant, *qui in veterum compositionibus experientia comprobatis, cùm duo simplicia ejusdem facultatis & gradus, idem compositum ingredientia animadvertunt, alterum ut superfluum expungunt*. Cùm enim medicamentum

ge-

geminam habeat actionem in corpus, alteram quæ primas & secundas qualitates in misto prædominante sequitur, alteram totum medicamentum consequentem; licet duo medicamenta similia sint gradu qualitatis prædominantis in temperato: differunt tamen toto temperato ac specie, ac proindè qualitas prædominans, diversis formis inserviens, præter actionem, quam edit, ut talis est, alium habet operandi modum, ut est instrumentum formæ determinatæ.

At mirum non sit, si ex duobus simplicibus, qualitatis excessu similibus, invicemque compositis, aliqua nobis ignota virtus resultare possit. Quam ob causam *in extemporaneis compositionibus multitudo medicamentorum* OMNI CVRA *vitanda est, illudque optimum medicamentum compositum est censendum,*

quod ex paucioribus usu magis expertis, paratuque facilimis simplicibus componitur. 1. de Compos. per gen. c 2. Hactenus de simplici componendo, quod vel necessariâ caret facultate, vel fortiorem aut debiliorem habet.

CAPUT VI.

Quomodo redundans virtus auferatur.

SI aliqua *facultas* redundet in simplici medicamento, corrigenda est, salvâ interim ea, quâ indigemus? Tollitur autem, admistione contrarii gradus ejusdem, & in pari quantitate: undè, si redundet aliqua qualitas prima, aut est activa aut passiva. Si activa, ut frigiditas, miscendum æquè calidum eadem quantitate, ut medicamentum in activis fiat tem-

temperatum, in passivis autem humidum aut siccum pro exigentia: & sic contrà. Non autem ut pro corrigendâ virtute superfluâ contrarium accipiatur, quod alterius, quàm requirimus, facultatis sit particeps. Verbi causa: Si calefaciendus ventriculus absque ullâ vel siccatione vel humectatione; mastiche quidem cõfert caliditate suâ, sed vis siccandi in ea redundat: ideò miscendum est oleum amygdalarum dulcium, calidum quidem ac æquè humidum quàm mastichinum siccum: sic enim fiet oleum compositum, in activis temperatum, in actione calidum. Eadem facienda in qualitatibus secundis ratiocinatio. Sit enim, verbi causa, apii semen, & indigeamus tantum ipsius virtute attenuandi & aperiendi; caliditate verò & frigiditate nequaquam, miscendum frigidum & humidum, cujus tamen

qualitates non repugnent qualitati secundæ, quam desideramus; ut sunt semina melonum. Sic enim ex semine melonum & apii compositum fiet aperiens in activis temperatum pro jecoris calidis obstructionibus.

Inter qualitates *tertias* sæpè corrigendus Sapor & odor: quia sicuti ingratus sapor nauseam vomitumque inducit, ut ideò ventriculus medicamentum non amplectatur: 8. *de Comp. per loca c. 3.* Ita ingratus odor spiritus exagitat, efficitque, ut natura remedium alioquin futurum aversetur: propterea consulit sapienter Averroës, ut amarum medicamentum, si illud respuat æger, dulci misceatur, quo amicius naturæ fiat, licet dulcedo intensioni nostræ quadantenus repugnaret: ut, si opus esset medicamento calido & adstringente, verbi causa, nam adstringendi vis non-

nonnihil refringitur dulcis admixtione. Verùm licet amarus sapor sit omnium insuavissimus, ac deindè cujusvis saporis molestia dulcis quidem admixtione mitigetur: gratum tamen vel ingratum, qui peculiari ægroti naturæ inimicus est. Videas enim aliquos, qui dulcia fastidiunt: alios, qui amara: alios, qui acidis solis delectantur: alios denique, qui inexplicabilem quendam saporem in omnibus, præcipuè purgantibus, experiuntur cum magnâ nauseâ, quem occultamus, ne ferire sensum possit: ut, cum bolos, vel pilulas hostiâ vel auro foliato involvimus, vel obscuramus alterius rei suavis admixtione; ut, cum purgantia infundimus in vinum generosum. Porrò licet sapor qualitatis talis ad gustum tantum attineat: quia tamen gustabile est etiam quiddam tangibile; sæpè accidit, ut corrigatur sapor

gratiâ tactus: ut, cum ad partem valdè sensibilem, verbi causa, oculum aut nervum detectum admovendum est. nam si sit acre aut salsum; vis mordicans partim lotione, partim emplastici admixtione tollitur. Qua ratione ab aceto, quantum fieri potest, abstinemus, quando incidenda bilis atra aut adusta, ut dictorum humorum mordacitas aceti acrimonia acuatur.

De odore *idem intellige.* Nam ut *plurimùm odor fœtidus* odoratis castigatur: aliquando è contrario fœtidis suaveolentia, quæ à quibusdam nullatenus ferri possunt.

Ad colorem quod attinet; licet non est artificiale, eum in componendis medicamentis attendere: *2. de comp. per gen. cap.* 1. cogimur tamen interdum, cùm viri potentes medicamentum unius coloris magis

gis expetunt quàm alterius. Quamobrem videmus, Theriacæ Autorem chalcitidem ustam adsumere solius coloris cõciliandi gratia. Est igitur ægrorũ genio aliquid indulgendum, nisi notabilem noxam inferat, quia medicamentum animo perturbato sumptum minus prodest; quàm aliud inefficacius, quod libenter sumitur.

Ex *quartis qualitatibus* corrigenda vis venefica, quæ in purgantibus maximè validioribus redundat. Cumque *vis illa dupliciter* obsit, calorem innatum dissolvendo, & toto temperamento vitalis caloris portionem evertẽdo: dupliciter quoque corrigitur, scilicet styptico aliquo stomachi calorem fovente (nisi purgans per se stypticum sit, ut: rhabarbarum, myrobalani, tamarindi) ut est Coriandrum, spica Celtica, semen citri, squinanthum, galanga; & proprio alexipharmaco

omnis validioris purgantis: quale helleborus niger, nymphæa alba, cotoneum, Turbith, Zinziber, ac si proprium alexipharmacum ignoremus, sufficit communium aliquod, ut sunt aromata, semina odorata, anisi, dauci, fœniculi, seseleos. Interdum præter pugnantia venenis ipsis utimur, ob utilem qualitatem primam aut secundam, quæ nobis necessaria est, ut, cum utimur arsenico ad absumendas excrescentias, & cantharidibus ad vesicatoria. Corrigitur autem virtus venefica arsenici pulvere crystalli, cantharidum semine ammeos. Sed cùm intrinsecus exhibetur, ad urinam provocandam; præter ammi addendum expicerasticum, & refrigerativum, ut caliditas quoque & acrimonia cantharidum emendetur. Constat igitur, quibus de causis simplex non juvet vitio facultatis, & quâ ratione per com-

compositionem emendatam virtutem nanciscatur.

CAPUT VII.

Quæ componendum medicamentum, quod non adplicatur passo.

HUjus conditionis defectu plerunque non operatur medicamentum, licet quoad agendi potentiam *ipsi* desit; quia, ut actio fiat, debet partim *contingere*, aut certè illi esse quàm proxima. Si igitur non adplicetur passo, indiget vehiculo. non adplicatur autem vel ex parte corporis, vel proprio defectu.

Duas causas ex parte corporis proponit *Gal. 4. meth. cap. 7.* partis profunditatem, & ejusdem densitatem, ratione profunditatis omnes corporis partes indigent vehiculo

culo (nisi simplex per se sit partium satis tenuium) præter externas, ventriculum & intestina, quorum meatus adeò sunt ampli, omnibusque adsumptis patentes, ut vehiculum non requirant. adfecto ergò corde, si calefaciendum sit, miscemus crocum loco vehiculi: si refrigerandum, succum citri, aut limonum, gratia uteri aromata, gratia renum & vesicæ diuretica, pro liene acetum, pro pulmone mel, pro capite castoreum. *ratione densitatis cerebrum maximè* omnium indiget vehiculo deferente vim medicamēti per cranii admodum densi substantiam, ideò oxyrrhodinis miscetur acetum aut succus limonum. Ex parte autem medicamenti varias ob causas non fit adplicatio agentis ad passum.

Prima ob medicamenti frigiditatem, quæ partis, quam subire debet, meatus densat, suique distribu-

tio-

tionem remoratur: quam ob causam frigidum momẽto calidi commixtum citiùs operatur, quod adparet in aqua frigida, quæ longè magis refrigerat tantillo aceti vel vini diluta, quàm sola exhibita 1. *simpl. c.* 29. Quemadmodum & soporifera citius magisque refrigerant, si cum pauxillo vini vel croci propinentur. 1. *Simpl. c.* 29.

Secunda causa est vis adstringendi meatus occludens, indigetque vehiculo rarefaciente & laxante, quâ ratione, ruptâ aliqua pulmonis venâ, *jubet Gal.* 4. *meth. c.* 7. austera, adstringentiaque medicamenta melli permisceri, cujus gratia ad pulmonem perveniant: & repercutientibus in cerebri inflammatione misceri acetum. 11. *meth. c.* 16.

Tertia est vis incrassandi, ideò cùm incrassanda est bilis, vel fervidior sanguis, portulacæ, lactucæ, sum-

sempervivo &c. miscetur aliquod attenuans, ut acetum.

Quarta est vis emplastica, quâ si intrinsecus egeamus, miscendum aliquod deferens tenuium partium, & modicè detergens. Sic, ruptâ in renibus venâ, Tragacanthæ vel sarcocollæ miscemus aliquod diureticum: & ad mulcendam urinæ acrimoniam datur aqua albuminis ovorum cum tantillo succi limonum, vel oleum amygdalarum dulcium sine igne expressum cum emulsione seminis melonum.

Quinta est vel nimia crassities substantiæ frigiditatis adstringẽtis socia, cujus vehiculum est medicamentum partium tenuium: vel nimia substantiæ tenuitas, ob quam medicamentum antè dissipetur, quàm ad adfectum locum perveniat: ut, si in coxendicis dolore, ad discutiendum materiam in articulo

la-

latentem, inungere velimus petroleum, quod ob sui tenuitatem dissipatur, priusquàm intimiores cavitates subeat. Quare miscendum est aliquid viscidius, ut oleum vulpinum, vel castoreum. Hujus generis sunt quædam aquæ odoratæ ad reficiendos spiritus, ac spiritus vini ardentissimus. His verò miscendæ sunt aliæ aquæ crassiorum partium, ne illarum vis dissipetur.

Sexta est consistentia crassa, quæ quidem pro usu interno non semper eget vehiculo, sed emendatur reducto medicamento in tenuissimum pollinem: quam ob causam inquit *Gal. 4. de tuend. san. c. 7.* Species diacalamenthi crasso modo tritas ventriculum abstergere, alvumque movere: subtilissimè autem pulverisatas rapi in venas, & urinam provocare. Quod si consistentia sicca, puta pulveres, non habeant tam insignem vim pene-

netrandi; miscendum est aliquod liquidum pro vehiculo: undè pilulis aperientibus, aut pulveribus lapides frangentibus aquam aut decoctum superbibi jubemus, quia humida facilius penetrant actu siccis pari quãtitate. *Idem docet 3 meth. c. ult.* exemplo ulceris profundi, pro quo siccando & detergendo conveniunt pulveres sarcotici, qui cum pervenire nequeant ad ulceris fundum, ob consistentiam, miscentur alicui fluido, quod se possit insinuare.

Postrema caussa est proprietas medicamenti qua ad unam magis quàm aliam partem fertur: ac propterea si simplex naturâ suâ feratur ad aliam partem, quàm ad affectam; miscendum est vehiculum parti laboranti adpropriatum, qua ratione omnia diuretica, sicut menses moventia, cum aromatibus permiscentur.

Est

Est autem *vehiculum* medicamenti ad caput Betonica & Stœchas: ad cor crocus, lignum aloës & moschus: ad hepar agrimonia, & juncus odoratus: ad lienem scolopendrium & tamariscus: ad articulos chamæpitys, & primula veris: ad nervos chamædrys, & resina Terebinthina: ad oculos fœniculum, eufragia, chelidonia, ruta, siler mōtanum: ad pulmones Hyssopus, farfara, pulmonaria: ad Vesicam Cantharides: ad hoc vehiculi genus referri possunt alimēta, quæ purgantibus miscentur, quando peculiaris evacuatio capitis desideratur. Cum enim somni tempore vapor alimenti secundum naturam petat cerebrum; si aliquod purgans paullò ante cibi sumptionem exhibeatur, irrepente levi somno, vis medicamenti longè facilius deveniet ad caput beneficio vaporis alimentaris, quàm si solum exhiberetur.

CA-

CAPUT VIII.

Quomodo componendum sit simplex, quod applicitum passo non permanet debito tempore.

SI denique simplex passo adplicitum diffluat citiùs, quàm ut suam edere possit operationem; debet permisceri aliquod sistens, cujus ratione acquirat permanentiam in parte affecta. Est autem sistens triplex; adstringens, emplasticum, & quod crassarum est partium: quâ ratione in aperiendis jecoris obstructionibus, diureticis miscemus amara, quæ partium suarum crassitie impediunt, ne diuretica statim ad renes permeent. Hac ratione cum Trochiscis de Rhabarbaro miscentur rosæ & absinthium.

Si diffluat ob medicamenti consisten-

sistentiam nimis fluidam vel nimis dissipatam, ut accidit pulveribus; convenit sistens emplasticum, veluti cera: undè Galenus pulveribus Euphorbii & Thapsiæ, in curanda alopecia, præter oleum jubet misceri ceram, ut pulverum substantia super affectum locum firmetur.

Si diffluat ob declivem partis situm, sistitur quoque emplasticis: undè in detergenda & siccanda ulcerata gulâ miscemus Tragachanthum & gummi Arabicum narcoticis; quia illorum lentore medicamentum aliqua ex parte adhæret loco affecto in transitu.

Præterea si diffluat tum ob substantiæ nimiam tenuitatem, tum partis affectæ meatus amplos & potentes; convenit sistens, partim adstringens partim emplasticum. Quam ob caussam miscetur Tragacantha & mastiche electuariis

riis lapidem frangẽtibus, ut illorum cauſſa lapidem frangentia aliquam moram in renibus trahant. Atque hæc dicta ſint de inventione medicamenti ſimplicis cum alio componendi. Ex quibus patet, quanam ratione tota componendi methodus ex Quatuor partibus vulgò receptis conſtituatur, baſi nimirum medicamenti, *adjuvante, corrigente, & deferente.*

Baſin conſtituit illud medicamentum, quod præditum eſt facultate ad curationem neceſſaria, ſive una ſit ſive plures.

Adjuvant baſin, quæ vel remiſſiorem ejus facultatem urgent vel neceſſariam addunt: vel tribuunt, ut in affecta parte permaneat.

Corrigens vel ſuperfluam facultatem planè tollit, vel nimis fortem, licet neceſſariam, remittit.

Denique baſin defert quod quam-

quandam vehiculi rationem obtinet.

Sed quia superiùs dictum est, simplicia esse permiscenda modò eadem, modò diversa quantitate; inquirendum est, quæ sit illa quantitas unicuiq; proportionata, qua misceri invicem debet basis, adjuvans, corrigens, & deferens.

CAPUT IX.

De Quantitate & proportione miscendorum.

Cùm omne agens naturale determinatam postulet magnitudinem, ut operari possit; necesse est duos dari terminos, inter quos operatio commodè fiat, pro materia efficaciaq; cujusq; agêtis; unum minimæ quantitatis, infrà quod agens, per efficaciam suæ virtutis non amplius operetur: alterum ma-

ximæ quantitatis, cum qua agens perfectè potest agere, quantum ipsi per virium fortitudinem à natura concessum est, & supra quam, ob actionis diuturnitatem, majoremque resistentiam transfundere suas vires videtur.

Ideò singulorum medicamentorum triplex est dosis sive quantitas, quæ tam in compositione, quàm administratione medicamenti spectanda est. Dosis inquam, *minima, maxima, & quæ inter extremas est, mediocris*, totam latitudinem inter extrema complectens. Hæc autem determinata quantitas, tametsi nec dici nec scribi, nec commodè concipi possit: atque exactam cujusque simplicis miscendi mensuram ante expertam invenire non possumus, conjicere tamen, judicare, ac componere pharmacum propriâ experientiâ possumus, nullum insigni-

gniter improsperum succeſſum habiturum.

Primùm ergò artificiali conjecturâ inveniam propriam cujusque ſimplicis menſuram: deinde ipſum magis particulariter determinabo ex iis, quæ experientiâ nobis innotuerunt.

Si ergò ſermo ſit de quantitate ſimplicium, ut conſtituit certam proportionem miſcendorum: advertendum eſt, ſimplicia, quæ componuntur, alia habere rationem baſis, nimirum quæ facultatem conſtituunt requiſitam, ac rei auferendæ contrariam, ſive unum ſit tantum ſimplex iſtâ facultate præditum, ſive ex pluribus commixtis confletur: alia habere rationem corrigentis, quæ ſcilicet ſuperfluas facultates, noſtroque propoſito nullo pacto accommodatas caſtigant: alia eſſe adjuvantia, quæ vel medicamentum ad la-

borantem partem deducunt, vel ibidem firmant ac sistunt.

Basis, quia præcipuum juvamentum præstat, ut plurimum debet esse quantitas, quàm corrigentis & adjuvantis; cùm per accidens tantum operentur, quatenus impedimenta removent.

Proportio autem basis ad quantitatem aliorum ea ferè à scriptoribus observatur, quam experientia quoque confirmat, ut superet quantitatem adjuvantis & corrigentis, ad minimum proportione dupla, ne basis facultas labefactetur, ad summum duodecupla proportione, ut basi juvamentum præstare possint: adeò ut adjuvantia & corrigentia nec infra subduodecuplam proportionem misceantur basi, nec supra subduplam. Hoc rarò tamen accidit, cùm vel propter robustissimam actionem basis adjuvantia & corrigentia longè

gè superent basin dupla proportione: vel è contra propter imbecillitatem basis, & robur adjuvantium & corrigentium, adjuvantia & corrigentia admiscentur basi infra subduodecuplam proportionem.

Prioris exemplum sit Bezoar, qui habet rationem basis, quando consilium est, humorum malignitatem retundere, & ad cutem protrudere; ut tamen ejus siccitas in curanda febre maligna corrigatur, & commodè per venas deferatur, grana 3. vel 4. Bezoar, vel conservæ acetositatis citri drachma una; ita, ut basis superetur vicecupla proportione: vel ex aliquot unciis aquæ acetosæ, aut similis ebibantur, ita ut basis superetur plus quàm centupla proportione.

Exemplum posterioris sint cantharides, quæ in pertinaci urinæ suppressione miscentur aliis diure-

ticis, longè infra sub duodecuplam proportionem. Quandoquidem media pars unius cantharidis, quæ vix pendet gr. 2. miscetur verbi gratia uni drachmæ conservæ malvarum, quæ habet grana 60. duo autem superantur à sexaginta trigecuplâ proportione.

Ut igitur hanc miscendorum proportionem, quantum fieri potest, proximè adsequamur; accuratè sunt æstimandæ omnium miscendorum vires & hujus, quorum gratia commiscentur. Quæ sunt facultatis intensione debilia, majori quantitate sunt miscenda, fortia minori: quorum substantia facilè resolvitur ac dissipatur, majorem quantitatem postulant: quæ lentiùs agant, tardiusque resolvuntur, ut crassa, densa, viscida, minorem. Quæ plures habent utiles facultates visceraque roborant, largiùs admiscenda, quàm quæ pau-

pauciores habent facultates usui nostro necessarias: omnium parcissima oportet esse illa, quæ præter utiles qualitates, aliquas habent valdè nocentes vel affectui ipsi vel caussæ: ut sunt quæ qualitatem veneficam alicui alteri conjunctam habent. Illud prætereà simplex parcè est admiscendum, quod in tota compositione nona habet aliud suis qualitatibus contrarium, à quo debilitari possit. Quantò autem plura simplicia cõtraria habuerit, tantò majori pondere admisceri debet. Pariter, si basis in uno tantùm simplici consistet, erit copiosior: si plura similia pro cõstituendâ basi sumuntur, minor erit singulorum mensura.

Denique si medicamentum agere debeat in partes longinquas & profundas, plus ejus accipiendum, quàm si agere debeat in partes proximas, & superficietenus.

Ideò quemadmodum quantitas remedii administrandi in Methodo medendi indicatur ab indicato, sive affectu parùm aut fortiter agente in remedium : ita in compositione medicamenti quantitas simplicis commiscendi denotetur à debili ex forti actione alterius, cum quo permiscetur, in ipsum.

Verum enimverò quia æqualis mensura simplicium componendorum, *vel inæqualis ratione* ponderis comparari quoque debet ad vim agendi cujusque naturalem: cum, gratia exempli, non sit eadem mensura ponderis, qua valet agens in quarto, & agens in secundo; magis particulariter determinata est quantitas pro cujusque gradu facultatis : ut, cùm sumenda est æqua quantitas calidi exempli gratiâ in primo, & calidi in 3; non sumamus idem pondus

dus Arithmeticè, sed proportionaliter, nempe mensuram, quâ unumquodq; calidum potest cum suæ virtutis efficacia corpus immutare. Cum itaque singuli gradus triplici mansione definiantur; rationabile est; triplicem quantitatem seu dosin *esse infimam, mediam & summam.*

Infima dosis, verbi gratiâ calidi in primo, est illa quam requirit, ut illâ corpus calefiat in prima mansione primi gradus: Summa, cùm calefacit in primo gradu completo, ultra quam dosin si adhibeatur, propter actionis diuturnitatem, & agentis resistentiam, eo ferè modo corpus nostrum immutabit, ac calidum in secundo gradu.

Et quia *activior forma minus requirit materiæ*; fit, ut quodammodo hæc dosium latitudo, quæ uni agenti convenire potest, quando ipsius

vires nobis exploratissimæ non sunt; quoad gradus mansionem ita aptetur singulorum graduum mansionibus, ut quo agens est efficaci?, eò minorem quantitatem requirat. Ideò summa dosis cõvenit illi, quod est tale in prima mansione; infima illi, quod est tale in 3. mansione. Atque ut hæc dosis constituatur, sumendum est principium à sensu & experientia, sine qua ratio in perfectam hujus rei notitiam pervenire non potest.

Est autem experientiâ confirmatum, ea quæ summam habent facultatem, & in quarto, requirere ad summum grana 20. seu scrupulum unum; ad minimum grana 4. vel 5; ita ut nec infra gran. 5. suam operationem edant, nec supra grana 20. perferri possint à natura. Propterea hæc agentia (& hoc de omnibus aliis intelligendum) infra minimam dosin accepta,

nun-

nunquam habere possunt rationem basis, licet possint adjuvantis aut corrigentis naturam induere: verbi gratia, diacrydium nec infra grana quinque vacuat bilem, nec supra grana 20. tolerari potest à natura, quia facit superpurgationem: si tamen infra minimam dosin, ut ad tria misceatur Rhabarbaro, potest habere rationem stimuli & adjuvantis.

Quod si minima (dosis agentis in quarto minima gran. 5. mediocris exactè gran. 12.; Summa scrup. 1.) dosis est gran. 5.; summa gran. 20. exactè media erit gran. 12.; quia habet æqualem distantiam ad 5. & ad 20. Et quia magnam habet latitudinem media non exactè; prout egebimus operatione, mediam magis versus primam aut tertiam mansionem sumemus, vel supra vel infra 12. grana: sc. 8. aut 16. Quia

verò forma imbecillior requirit plus materiæ, ut agat; tantò major erit dosis agentis in tertio constabit ex duabus extremis dosibus agentis in quarto, eritque scrup. 1. gran. 5. Et quia est proportio facultatis in tertio gradu ad suam materiam, quæ est facultatis in quarto ad suam.

Si summa dosis facultatis in quarto superat minimam quadruplo; necessarium est; id quoque evenire in tertia facultate, & aliis proportionaliter. ℂIndè gran. 100. seu scrup. 5. erunt summa dosis agentis in tertio, mediocris exactè erit gran. 62.; id est, scrup. 1. gran. 2. Rursus quia eadem est proportio secundi gradus ad tertium, quæ est tertii ad quartum; minima dosis agentis in 2. erit gran. 125. seu scrup. 2. & gran. 5. Summa dosis erunt grana 500. sive drachma 1. & scr. 1. Media exactè

actè erit gran. 312. seu drachmæ 5. & gran. 12. denique eadem proportione infima dosis agentis in primo erunt gradus 625. sive drachmæ 10. scr. 1. gran. 5. summa dosis erunt gran. 2500. sive unciæ 5. drachma 1. scrup. 2. Media autem erit granor. 1562 seu unc. 2. drach. 2. & gran. 2. Temperati autem dosis minima erit gran. 3125. seu unc. 6. & gran. 5. summa erit gran. 11520. sive unciæ 26. & scrup. 1. Media exactè erit gran. 5940. sive drachm. 13. & scrup. 1. Licet enim temperati proportio ratione virtutis nullam habeat latitudinem: ratione tamen quantitatis, quam requirit ad agendum, habet latitudinem non exiguam, sicuti reliquæ facultates.

Hæc mihi visa est rationabilior, & usui magis consona graduum & dosium supputatio: ex qua facilè adparet, quomodo sumenda sit æ-

qualis quantitas duorum simplicium, ut ex utroq; compositum mediæ facultatis proveniat. Nam, gratiâ exempli, ex calido in primo, & calido in tertio velimus comparare calidum in secundo; sumendum est calidum in primo ea quantitate, quæ requiritur ab agente tali in tertio.

Et rursum sumendum est calidum in tertio ea quantitate, quæ requiritur ab agente tali in tertio. Propterea si lubeat accipere *minimam utriusque* dosin, ad hoc, ut fiat compositum calidum in secundo incipiente, sumes calidum in primo: gratiâ verbi, mastiches drachmas decem & scrupulum unum, calidi verò in tertio, ut cinnamomi, scrupulos quinque.

Non est autem necesse, ut præcisè compositum efficias ex tanta quantitate: sed sufficit, observare

vare proportionem, quam unius dosis habet ad dosin alterius: ut in hoc casu: quia proportio drach. 10. & scrup. 1. nimirum scrup. 31. est sextupla cum una quinta ad scrup. 5. Sumes mastiches sextuplo plus quàm cinnamomi. Hæc de ratione componendi medicamenta, pro præsenti instituto sint satis.

CAPUT X.

Quomodo compositi medicamenti virtus & dosis cognoscatur.

AD alteram tractationis partem quod attinet; inquirendum est, quomodo compositi medicamenti facultatem, dosinq; cognoscamus, præsertim ne nobis regula desit, quam ad examinanda, quæ in Antidotariis continentur, exempla accommodemus.

Ne-

Neq;pluribus heîc agitabo controversiam: an ex medicamentorum compositione, ac præsertim post fermentationem, nova quædam forma generetur. Est enim controversia partim inutilis, partim in superioribus decisa.

Etenim *cum mixtio sit miscibilium alteratorum unio*, medicamenta autem in se agere non possint, antequam à colore nostro in actum reducantur: clarum est, compositum non esse unum mixtum nisi per aggregationem, neq; novam formam substantialem ex composito resultare, licet novus modus agendi proveniat, ob variam agentium mixtorum proportionem atq; confusionem. Id docet Galenus, dum inquit lib.1.de Antid.c.10. compositorum medicamentorum virtus ex simplicium vigore consurgit, parva quadam intervenienti differentiâ ex componendi arte. Parva

va inquit, differentiâ: quâ omnium vires propriæ retinentur: quia dum compositione sibi apponuntur invicem medicamenta per minutissimas partes, non habent penitus eundem operandi modum. Quod si aliqua substantialis forma proveniret, solâ experientiâ dignosceretur; ac propterea nihil ad hoc institutum pertinet.

Quærimus igitur facultatem manifestam, quæ ex mutua simplicium actuatorum alteratione oritur, eo pusque immutat. Cognoscitur autem hoc pacto: si in composito sint aliquæ facultates materiam habentes aliquam contrariam, compositum retinet illam facultatem in eo gradu, quo est simplex permixtum. Si contrariæ virtutes permisceantur, media indè resultans duplici viâ investigabitur.


PRI-

PRIMA.

Si ingredientium dosis sit proportionata, id est, si omnia simplicia sint in ea quantitate, quam requirit gradus, quem habent; numerandi sunt singulorum gradus, deinde summa quantitatis utriusque seorsim colligenda & dividenda per numerum ingredientium compositorum: quod prodidit ex divisione, indicabit qualitatem *in composito dominantem*; ut, si compositum constet ex tribus simplicibus in dosi proportionata mixtis, quorum unum sit calidum in tertio, siccum in secundo: alterum sit calidum & siccum in secundo: tertium sit calidum in primo, siccum in tertio. Quoniam tria simplicia componita ingrediuntur, signentur singulorum gradus: ita calidum in tertio habet caloris partes septem,

fri-


frigoris unam: calidum in 2. habet frigoris partes duas, caloris sex.: calidum in primo habet coloris partes quinque, frigoris tres. Summa partium frigoris erit sex: summa caloris erit decem & octo.




Cumque tria sint simplicia, divide utrumque numerum per tria; proveniunt frigoris partes duæ, caloris sex. Ergò compositum illud erit calidum in secundo.

Eodem modo intelliges passivam qualitatem. Nam siccum in secundo habet siccitatis sex partes, & duas humiditatis: Tertium verò, quod est siccum in tertio, habet siccitatis septem partes, humiditatis unam. Quare partes siccitatis decem & novem erunt, humiditatis verò quinque, quibus per tria divisis

visis, fient siccitatis partes 6. cum una tertia.



Humiditas 1. cum duabus tertiis.



Erit igitur hoc compositum siccum in principio seu prima mansione tertii gradus.

SECUNDA.

Sive dosis ingredientium sit proportionata, sive improportionata, adeò ut vel plures doses sint unius: vel aliquid infra minimam suam dosin misceatur; numerandæ sunt singulorum doses: quotquot erunt unius gradus doses, toties sunt gradus illi numerandi.

Deinde summa graduum dividen-

denda est per numerum dosium: nam ex divisione prodibit virtus compositi: ut in dato exemplo. Si calidi in primo & sicci in tertio essent tres doses: ter numerandi sunt gradus calidi in primo, & sicci in tertio: quod habet nimirum caliditatis partes quinq;, frigoris tres, siccitatis septem, humiditatis unam. Si calidi & sicci in secundo essent duæ doses, bis numerandi essent gradus calidi & sicci in secundo, quod habet calidit. & siccitatis partes sex, frigiditatis & humiditatis partes duas.

Summa igitur istarum dosium est quinque dosium agentis calidi: ac propterea, si summam partium caliditatis, quæ sunt 27. & summam partium frigiditatis, quæ sunt 13. divideris per quinque; fient quinque, & duæ quintæ caloris,

fri-

$$\begin{array}{c|c} 2 & 2 \\ 27 & 5 \\ 5 & 5 \end{array}$$

frigoris verò partes 2. & 3. quintæ,

$$\begin{array}{c|c} 13 & 3 \\ & 2 \\ 5 & 5 \end{array}$$

eritque compositum tale calidum in prima mansione secundi gradus; quia licet duæ quintæ caloris faciant plus quàm una tertia, non tamen omninò efficient mediam mansionem.

Nec aliter temperatum in passivis qualitatibus colliges. Quòd si simplex aliquod infra mansionem suam quantitatem compositum ingrediatur; numerandæ sunt semel illius qualitates, ac si virtutem uno gradu inferiorem obtinuerit: ut, si dosis calidi in tertio, & sicci in primo sit infra minimam; numerandi sunt ipsius gradus, ac si esset calidum in secundo, aut calidum

in

in primo, prout dosis illa erit subdupla, aut subtripla ad minimam illius dosin.

Qui verò virtutem compositi colligunt, dividendo illud in partes aliquotas, expositis omnium partium gradibus, subtrahendo minorem numerum à majori, ut relinquatur gradus compositi; errant, (*Valesc.* 10. *contr. c.* 11.) cum non habeant rationem ad proportionem quantitatis, quæ varia est, pro diversâ agentium efficacia.

Dosis verò compositi non alia est, quàm quæ superius adsignata est singulis gradibus: ut, si compositum sit tale in quarto; dabitur à gran. 4. ad drachm. 2. Quod verò tale est in tertio, à gran. 25. ad scr. 5. Quod tale est in secundo, à drachm. 2. ad unc. 1. & scrup. 1. Quod est tale in primo, à drachm. 10. & scrup. 1. ad unc. 5. & drachm. 1. cum semisse.

Tem-

Temperatum denique à semilibra ad libras 2.

Verùm quia *purgantis facultates non adversantur sibi invicem, ac propterea irrefractæ perseverant*; non possumus hac ratione ex unius virtutis intensione dosin purgantis compositi colligere.

Quâ ratione autem sit colligenda, paucis & optimè explicat *Averroës* 5. *Collig.* 58. duabus regulis.

PRIMA. Si purgantia commixta sint ejusdem virtutis, ac omnia *purgent vehementer*, vel leviter, vel mediocriter; danda est compositio dosis, quæ æquet unam dosin singulorum per se: ac propterea dividi debebit compositum in tot doses & partes, quot doses singulorum simplicium sunt acceptæ: ut, si compositum constet ex 4. integris dosibus quatuor purgantium; dividatur in 4. partes, dabitur una quarta pro dosi.

SE-

SECUNDA. Si purgantia sint inæqualis virtutis: aliqua sint mitia, aliqua furentia; pro una dosi compositi purgantis tantum est sumendum ex dosi integra uniuscujusq; purgantis simplicis, quantum relinquere videbitur operationi compositi: ut, si operatio compositi requirat magis unius quàm alterius virtutem, quâ indigemus (verbi gratia) cujus operatio magis expetitur; sumetur dosis mediocris; cujus operatio minus expetitur; sumetur dosis prope minima. Illud tamen est advertendum, posse ex compositis purgantibus, quæ fermentantur, ut sunt Syrupi magistrales & Electuaria, dari quantitatem, quæ etiam contineat ultra summam dosin alicujus simplicis purgantis. Nam virtus purgatrix, alexipharmaca, deleteria, factâ totius temperamenti, à quo provenit, propor-

tionis aliqua immutatione, necessariò redditur à fermentatione imbecillior.

Ex solidioribus autem purgantibus compositis, ut pilulis, pulveribus, non licet dosin accipere, quæ alicujus purgantis simplicis contineat dosin supra summam: Siquidem solidiora composita retinent simplicium vires integras, donec à nostro calore fuerint actu secundo posita.

Quare ut possimus justam dosin *uniuscujusque purgantis* compositi examinare, dividendum est totum compositum in suas doses, ac per numerum constituentium totum compositum dividenda est quantitas singulorum simplicium purgantium. Nam ex divisione patebit, quantum cujusque simplicis ingrediatur unam maximam dosin compositi: exempli gratiâ; Sit aliquod compositum puc-

purgans ponderans unc. 4. cujus dosis summa sint drachm. 4. Contineat autem compositum Turbith drachm. 4. & diacr. drachm. semis. Si scire velimus, an revera drach. 4. sint summa dosis hujus compositi, divide per octo, tum 30. gr. diacrydii, tum 260. gr. turbith; reperins 240. Summam dosin compositi habere Turbith semidrachm. diacrydii verò ferè gr. 4. Quia igitur summa dosis recipit diagryd. *infra minimam dosin*, & Turbith *in dosi mediocri*: diagrydium autem infra minimam dosin non habet rationem electivè trahentis, sed stimuli; statuendum est, drachmas 4. non esse summam dosin dicti compositi; nisi plura alia purgantia eandem dosin ingrediantur.

Sed enim verò quò clarius hactenus dicta percipiantur, & de medicamenti compositione, & de

compositi virtute ac dosi ; subjiciam duo exempla , alterum purgantis, alterum roborantis, sive alterantis, quæ in articulorum, partiumque nervosarum affectibus, insignem semper utilitatem attulerunt. Purgans est tale:

℞. Turbith
Hermodactyl.ana drach.4.
diacr.drachm.1.
ZZ.scrup.2.
sacchar.fini unc.1.M.

F. pulvis subtilis ex jure pullæ propinandus. Consilium est mihi, ex dictis partibus vacuare pituitam mucosam, nec non tenuem. accipio Turbith , quod utrumque præclarè facit : sed quia magis mucosam vacuat, quàm tenuem, & æqualiter ex toto venoso genere trahit; sumo Hermodactylos, qui tenuem pituitam valdè expurgant, & proprio quasi genio ad articulos, nervosque suam deferunt facul-

cultatem: ita ut Hermodactyli agant æquali virtute, sumantur in eadem dosi: sed quia in fluxione pituitæ ad articulos bilis habere solet rationem vehiculi, purgandum est quoque aliqua ex parte: propterea duobus phlegmagogis propositis, carentibus hac facultate bilem evacuandi, jungo diacrydium, quo ipsâ est præditum. Sed quia diacrydium non habet rationem dosis principalis, cum sit à dominio pituita crassa, tenuisque ducenda; sumo ipsum eâ quantitate, ut una dosis purgantis compositi recipiat diacrydii prope infimam dosin. Nam summam dosin si reciperet diacrydium ultra dosin mediocrem, haberet rationem principalis: & tale compositum æquali virtute purgaret bilem & pituitam.

Sed quia Hermodactyli & Turbith superfluam unam habent facultatem, qua ventriculum subver-

tunt, ejusque calori adversantur, & maximè quia tardè agunt, diuque in ipso morantur; loco corrigentis sumo Zingiber, quod & vi veneficæ utrique resistit, & sui acrimonia expultricis adjuvat actionem, ne illa medicamenta ultra debitum tempus in ventriculo commorentur. Sumitur autem Zinziber eâ quantitate, ut una dosis medicamenti ingrediatur infra minimam suam dosin, nimirum ad gr. 5. *Quia Zinziber ratione* acrimoniæ, quâ egemus ad excitandam ventriculi expultricem, est agens in summo, ideò sufficit minima dosis agentium in quarto. Ratione autem caliditatis est agens in tertio completo: sed quia ipsius caliditate non egemus, ea ratione est miscendum, ut una dosis compositi habeat Zinzib. infra minimam dosin agentium in tertio. Quare cum sit gr. 25, datur singulis vicibus in sub-

subquintuplâ proportione ad minimam sui dosin, adeò ut nihil penitus possit calefacere.

Tandem, quia diacrydium insignem habet amarorem, misceo saccharum, ut natura medicamenta non aversetur, misceo autem octuplo plus saccheri, ut amaror ex toto auferatur. Cumque pulveris substantia dissipata deglutiri non possit, sed oris partibus & gulæ adhæreat; indigemus in administratione ulteriori compositione cum aliquo vehiculo fluido, quale est pullæ jusculum vel vinum album odoratum.

Tale est igitur artificium hujus compositi. Quòd scire velis ejus virtutem, an bilem an pituitam à prædominio purget; collige integras doses singulorum purgantium, ex Turbith & Hermodactylis. Cùm eundem specie humorem purgant, & in eodem gradu 38. in

tertio fit velut unum purgans, cùjus sunt drachm. 8. in compositio: & quia drach. 1. constituit medocrem dosin purgantium in tertio gradu (licet enim dividere purgantia in quarto gradu debilium, mediocrium, fortium & furentium) erunt octo doses phlegmagogi, media verò dosis est tantum extremè furentium, velut est antimonium, & helleborus albus, quorum substantiæ summa dosis est dosis infima: aut propè infimam furentium remissorum, sc. gr. 12.

Erunt igitur Cholalogi doses quinque, quia compositum habet drach. 1. diagrydii, seu gr. 60. Quare compositum purgare dicitur à prædominio pituitam, cùm doses phlegmagogi superent duplas doses Cholagogi. Hujus autem compositi dosin facilè cognosces. Cum enim pituita purganda sit à remotis partibus, sumes pro unâ dosi paullò ultra

tra mediocrem quantitatem basis, quam dixi constare ex drachm. 8. Hermodactylorum, & ex quatuor Turbith: & quia mediocris basis est drach. 1. sumi poterunt pro una dosi compositi utriusq; scr. 2. ita ut basis *sumantur* scr. 4. videndum igitur est tibi, quot doses basis continet totum compositum. Continet autem 6. quia scr. 4. sexies ingrediuntur drachmas 8. Itaq; divide totum compositum, quod constat ex drach. 18. in sex partes; reperies, summam dosin hujus compositi esse drachm. 3. infimam sesquidrachmam sive subduplum dosis summæ: mediam autem esse circiter drach. 2. Alterans est tale:

℞. *Trochisc. de vipera drachm.* 1. c. in 1. l. in 3.
Terebinth. coct. in aq. salv. & puleg. - - - - c. in 1. s. in 3.
pulv. Iv. æ anadrachm. 5. c. in 2. s. in 3.

granor.juniper.drachm.2. c.in 3.l.in 1.

flor.anthos - - - c.in 1.ſ.in 2.

ſalv.anapÿ - c.in 2.ſ.in 1.

mell.anthoſat.unc.ſ. c.in 2.ſ.in 2.

F. Electuarium in forma Opiatæ.

Conſilium eſt, nervos relaxatos calefacere mediocriter: inſigniter autem exſiccare, cum aliqua adſtrictione, ne calidum innatum, quod exiguum inest partibus, valida exſiccatione ablumatur. Unde medicamentum compoſitum valdè *debet eſſe ſiccans*, & calefaciens circiter duobus gradibus. Siquidem ob partis affectæ longinquitatem, & varias, quibus ſubjici debet medicamentum, alterationes, non parum propriæ caliditatis medicamenti deperdetur in via, adeò ut ferè calidum in 1. ad affectas partes perveniat; quo quidem caloris gradu in hoc caſu indigemus. Trochiſci de vipera enim articulos con-

convenienter siccant, cumque siccent in 3. sumitur mediocris dosis agentium in 3. Præter siccationem indigeo caliditate majori, quàm insit viperis: indigeo præterea deferente viperarum ad locos affectos, & roborante ipsos. Terebinthina id omne facit: nam calefacit in 2. vimque siccandi viperarum roborat. Sumitur cocta, ut magis adstringat: coquitur autem ex aqua salviæ, ut nulla ipsius facultatum, quibus egemus, coctione exsolvatur. Cumque calefaciat in 2. sumitur ad drachm. 3. quæ est dosis mediocris agentium in secundo. Quia verò Terebinthina coctione perdit partes magis spirituosas, quibus maximè inest vis penetrandi: vis ipsius deferendi in partes roboratur Iva, quæ tenuium est partium: sumiturque Iva, æquali pondere: quia in omnibus facultatibus

communicat cum Terebinthinâ, & in eodem gradu, ut propterea utraq; juncta simul habeat rationem basis.

Rursus: Quia viperarum caro superfluam habet facultatem, videlicet veneficam, quæ in trochiscis viperinis non est sufficienter correcta; sumo proprium corrigens, videlicet grana juniperi, quæ sunt calida in tertio, & nervosis partibus adpropriata. accipio autem in duplâ proportione ad dosin Trochiscos, quæ proportio efficit duas agentium in tertio, geminam ob causam: tum ut vis illa venefica viperarum, quæ est magnæ activitatis, penitus auferatur: tum ut medicamentum aliquantò fiat calidius. nam ex viperis solis, Terebinthina, & Ivâ non potest resultare vis calefaciens in secundo gradu completo. Porrò acutus granorum juniperi odor sensui molestus

ftus temperatur floribus anthos & salviæ, & ipsis nervo articuloq; adpropriatis. Sumuntur autem utriusque pugilli duo, qui ferè æquant pondus drachm. trium prope minimam dosin agentium in 2; Qualia sunt salvia & ros marinus. nam majori dosi non est opus, cùm caliditate & siccitate illorum magnoperè non egeamus.

Postremò Ivæ & salviæ amaror, carnisque viperarum cum Terebinthina insuavis sapor, melle potissimum anthosato, quippe nervis & cerebro magis consentaneo, corrigitur. Quod cum sit calidum in secundo incipiente, sumatur eâ dosi, quæ est summa dosis agentium in primo, nimirum unciarum quinque, quia non tam caliditate & siccitate mellis opus est, quàm dulcedine: & quia ea mellis quantitas ad constituendam Electuarii formam requiritur, & probam ingredien-

tium permixtionem. cumque mellis qualitates non adversentur virtutibus basis; non est verendum, ne ex mellis quantitate compositum reddatur imbecillius.

Hujus verò compositi virtus ex ingredientium facultate ut cognoscatur, sic numerandæ sunt singulorum graduum doses. Viperæ, Terebinthina & Iva siccant in tertio gradu: omnium autem simul habentur in composito drach. II. Itaque II. doses mediocres ficci in tertio gradu continet dictum compositum: ac propterea undecies sunt numerandi gradus ficci in tertio: decies autem septem gradus siccitatis faciunt 70. partes siccitatis, & undecies unus gradus humiditatis facit undecim partes humiditatis. Mel autem, flores salviæ; & flores anthos siccāt in secundo. Omnium autem habentur in composito unc. 5. cum media circiter, id est, novem

do-

doſes mediocres ſiccitatis, quæ miſtæ ſiccitati in ſecundo faciunt 54. partes ſiccitatis, & 8. partes humiditatis. Grana juniperi ſiccant in primo, negligitur ipſorum ſiccitas.

Quare in toto compoſito erunt 20. doſes medicamenti ſiccantis, ac partes ſiccitatis 131.; partes humiditatis 29. diviſo utroque numero per numerum doſium, id eſt, per 20; reperies ſiccitatis partes ſex, & plus quàm dimidiam, quæ ſumenda eſt pro duabus tertiis. Humiditatis autem una tertia. Quod autem habet ſex partes, & duas tertias ſiccitatis, eſt ſiccum in ſecunda manſione tertii gradus.

Rurſus: Grana Juniperi calefaciunt in 3; quorum habetur drach. 2. ſeu duæ mediæ doſes calidi in tertio, quia faciunt 14. partes caloris, & duas frigoris. At Terebinthina, Iva, ſt. ſalviæ, nec non mel anthoſatum calefaciunt in ſecundo. Omnium

mnium autem habentur unciæ sex cum semisse, seu decem doses mediæ calidi in secundo. Decies ergò numerando gradus calidi in secundo, fiunt calidi partes 60.; frigoris partes 20. Tandem trochisci viperini, & fl. anthos calefaciunt in primo: sed quia utriusque dosis est infra minimam dosin calidi in primo, negligitur ipsorum caliditas. Sunt ergò summatim in hoc composito 12. doses agentis calidi: caloris autem partes 74.; frigoris 22. Quibus utrinque divisis per 12.; faciunt caloris partes sex & unam sextam, frigoris verò partes unam & quinque sextas: quia una sexta non efficit unam tertiam, seu unam mansionem: numero tamen sex gradus caloris, & quia 5. sextæ efficiunt ultra duas tertias, seu duas mansiones: ex quibus stationibus, in quas singuli gradus sunt divisi, numero frigiditatis duos gradus integros.

Con-

Constat igitur, siccum medicamentum esse calidum in secundo complero: siccum verò in secunda mansione tertii gradus.

De dosi, quomodo sit colligenda, id facilè colligi potest ex dictis. Nam cum mediocris dosis calidi in secundo sit circiter drach. 4; sicci autem in tertio dosis mediocris sit drach. 1; æqualiter autem indigeamus caliditate & siccitate hujus compositi; ipsius dosis mediocris erit media inter istas duas circiter drach. 3; summa erit drachm. 5; minima verò circiter drachm. cum media. Quod si tamen siccitate compositi egeremus; dosis ipsius esset dosis siccantium in tertio, aut, si solâ ipsius caliditate esset opus, daretur ea dosi, quæ convenit calidis in secundo.

Hactenus de hoc argumento dixi: si ad omnium commodum, satis fideliter: si absque fructu, nimis pro-

prolixè. Optarim tamen, ut aliquis alius maturiore ingenio, ac industriâ magis elimata, tractatũ istum, omnium quæ in Arte continentur longè difficilimum, & à paucis excultum, elaboret. Ego enim onus hoc mihi impositum suscepi, non quòd pares esse rei difficultati meos conatus arbitrarer: sed ne vel primos juventutis annos à dignissimo labore abducere velle judicarer, vel studiosissimorum adolescentum desiderio nolle respondere.

ΤΕΤΕΛΕΣΤΑΙ.